The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus *soliloquiorum libro* (fol.1vb-2ra)

1. Deus uniuersitatis conditor postea michi primum. ut te bene rogem. deinde ut me agam dignum. quem exandias. postremo ut liberes.

   Deus universitatis conditor, praesta mihi primum ut te bene rogem, deinde ut me agam dignum quem liberes, postremo ut liberes.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.1.2 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.4, ll.5-7).

2. Deus quem amat. omne quod potest amare. siue sciens. siue nesciens.

   Deus, quem amat omne quod potest amare, sive sciens sive nesciens.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.1.2 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.4, ll.16-17).

3. Deus a quo auerti cadere. in quem conuerti resurgere. in quo manere consistere est. deus a quo exire emori. in quem redire. reuiuiscere in quo habitare uiuere est. Deus quem nemo amittit nisi deceptus. quem nemo querit nisi admonitus. quem nemo inuenit nisi purgatus. Deus quem Relinquere. hoc est quod perire. quem attendere. hoc est quod amare. quem uidere. hoc est quod habere.

   Deus, a quo averti cadere, in quem converti resurgere, in quo manere consistere est. Deus, a quo exire emori, in quem redire reviviscere, in quo habitare vivere est. Deus, quem nemo amittit nisi deceptus, quem nemo quaerit nisi admonitus, quem nemo invenit nisi purgatus. Deus, quem relinquere hoc est quod perire, quem adtendere hoc est quod amare, quem videre hoc est quod habere.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.1.3 (CSEL 89, W. Hörmann ed., pp.5-6, ll.17-19, 1-5).

4. Deus a quo manant. usque ad nos omnia bona. a quo cohercentur a nobis. omnia mala. deus supra quem nichil extra quem nichil. sine quo nichil est. Deus sub quo totum. in quo totum. cum quo totum est. qui fecisti hominem ad ymaginem et similitudinem tuam. quod ipse qui se nouit agnoscit. exaudi. exaudi. exaudi me deus meus. domine meus. Rex meus. pater meus. causa mea. spes mea. Res mea. honor meus. domus mea. patria mea. salus mea. lux mea. uita mea. exaudi. exaudi. exaudi me more illo tuo. paucis notissimo. Iam te solum amo. te solum sequor. te solum quero. tibi soli seruire paratus sum. Quia tu solus iuste dominaris. tui iuris esse cupio. Iube queso. atque impera. quicquid uis. sed sana et aperi aures meas. quibus uoces tuas audiam. Sana et aperi oculos meos quibus nutus tuos uideam. Expelle a me insaniam. ut recognoscam te. dic michi quo attendam ut aspiciam te. et omnia me spero que iusseris esse facturum. Recipe oro fugitiuum tuum clementissime domine iam iam satis penas dederim. satis inimicis tuis quos habes sub pedibus tuis seruierim. satis fuerim fallaciarum ludibrium. accipe me ab istis fugientem famulum tuum. quia et isti. me quando a te fugiebam. acceperunt alienum. ad te michi redeundum esse sentio. pateat michi pulsanti ianua tua. quomodo ad te perueniatur doce me nichil aliud habeo quam uoluntatem. nichil aliud scio quam fluxa et caduca esse spernenda. certa. et eterna requirenda. hoc facio pater. quia hoc solum noui. sed unde ad te perueniatur ignoro. tu michi suggere. tu ostende. tu uiaticum prebe. si fide te inueniunt qui ad te refugiunt fidem da. si uirtute uirtutem. si scientia. scientiam.

   Deus, a quo manant usque ad nos omnia bona, a quo coercentur a nobis omnia mala. Deus, supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est. Deus, sub quo totum, in quo totum, cum quo totum est. <Deus>, qui fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, quod qui se ipse novit, agnoscit. Exaudi, exaudi, exaudi me, deus meus, domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo. Iam te solum amo, te solum sequor, te solum quaero, tibi soli servire paratus sum, quia tu solus iuste dominaris; tui iuris esse cupio. Iube, quaeso, atque impera quidquid vis, sed sana et aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana et aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle a me insaniam, ut recognoscam te. Dic mihi qua adtendam, ut aspiciam te, et omnia me spero quae iusseris esse facturum. Recipe, oro, fugitivum tuum, domine clementissime. Iamiam satis poenas dederim, satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, servierim, satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia et isti me, quando a te fugiebam, acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio: pateat mihi pulsanti ianua tua; quomodo ad te perveniatur, doce me. Nihil aliud habeo quam voluntatem, nihil aliud scio nisi fluxa et caduca spernenda esse, certa et aeterna requirenda. Hoc facio, pater, quia hoc solum novi; sed unde ad te perveniatur ignoro. Tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum praebe. Si fide te inveniunt qui ad te refugiunt, fidem da si virtute, virtutem, si scientia, scientiam.

Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.1.4-5 (CSEL 89, W. Hörmann ed., pp.8-10, ll.15-17, 1-19, 1-8).

5. Querenti te nichil aliud pro te occurrat. si nichil aliud desidero quam te inueniam iam te queso pater. Si autem est in me superflui alicuius appetitio. tu ipse me munda. et fac ydoneum ad uidendum te ceterum de salute huius mortalis corporis mei. quamdiu nescio. quid michi ex eo utile sit. uel eis quos diligo. tibi illud committo.

   Fac et me, pater, vindica me ab errore; quaerenti te mihi nihil aliud pro te occurat. Si nihil aliud desidero quam te, inveniam te iam, quaeso, pater. Si autem est in me superflui alicuius adpetitio, tu ipse me munda et fac idoneum ad videndum te. Ceterum de salute huius mortalis corporis mei, quamdiu nescio, quid mihi ex eo utile sit vel eis, quos diligo, tibi illud committo, pater sapientissime atque optime, et pro eo quod ad tempus admonueris, deprecabor.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.1.6 (CSEL 89, W. Hörmann ed., pp.10-11, ll.15-19, 1-4).

6. Deum et animam scire cupio.

   Deum et animam scire cupio.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.2.7 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.11, l.15).

7. Oculi sunt anime. mens ab omni labe corporis pura. id est a cupiditatibus rerum mortalium. iam remota. atque purgata.

   Oculi sani mens est ab omni labe corporis pura, id est a cupiditatibus rerum mortalium iam remota atque purgata.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.6.12 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.20, ll.4-6).

8. Caritati non solum nichil detrahetur. sed addetur etiam plurimum. nam et illam singularem ueramque pulchritudinem cum uiderit. plus amabit.

   Caritati vero non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum. Nam et illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit, plus amabit et, nisi ingenti amore

oculum infixerit nec ab aspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit.

Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libri duo*, 1.7.14 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.22, ll.8-13).

9. Nichil esse sentio quod magis ex arce deiciat animum uirilem. quam blandimenta feminea.

   Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiciat animum virilem, quam blandimenta feminea corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.

   Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.10.17 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.27, ll.7-9).

10. Quanto augetur spes uidende illius. cui uehementer estuo pulcritudinis. tanto ad illam totus amor uoluptasque conuertitur.

    Nam quanto augetur spes videndae illius cui vehementer aestuo pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluptasque convertitur.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.10.17 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.27-8, ll.22, 1-2).

11. Ea que statui non edere. nichil me commouent. hiis autem que non amputaui. delectari me presentibus fateor. ita tamen. ut sine ulla promotione animi. uel uisa. uel gustata. subtrahantur. cum autem non adsunt. prorsus non audet hec appetitio se inserere. ad impedimentum cogitationibus meis. sed omnino. siue de cibo. et potu. siue de balneis. caeteraque corporis uoluptate nihil interroges. tantum ab ea peto. quantum in ualitudini opem conferre potest.

    Ea, quae statui non edere, nihil me conmovent. His autem, quae non amputavi, delectari me praesentibus fateor, ita tamen ut sine ulla permotione animi vel visa vel gustata subtrahantur. Cum autem non adsunt prorsus, non audet haec adpetitio se inserere ad impedimentum cogitationibus meis. Sed omnino sive de cibo et potu sive de balneis ceteraque corporis voluptate nihil interroges: tantum ab ea peto, quantum in valetudinis opem conferri potest.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.10.17 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.28, ll.4-12).

12. Non quero quid negatum delectet. sed quid non delectet oblatum. aliud est enim exhausta pestis. aliud consopita.

    Non quaero quid negatum non delectet, sed quid delectet oblatum. Aliud est enim exhausta pestis, aliud consopita.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.11.19 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.29, ll.19-21).

13. Quantum emerserimus uidemur nobis uidere. quantum autem mersi eramus. et quo progressi fueramus. nec cogitare nec sentire permittimur. et in comparatione grauioris morbi sanos esse nos credimus.

    Nos autem, quantum emerserimus, videmur nobis videre: quantum autem mersi eramus et quo progressi fueramus, nec cogitare nec sentire permittimur et in comparatione gravioris morbi sanos esse nos credimus.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.14.25 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.38, ll.5-8).

14. Constanter crede deo. eique te totum committe quantum potes. Noli uelle esse quasi proprius. et in tua potestate. sed eius. et clementissimi et utilissimi. te seruum esse profitere. ita enim te ad se subleuare non desinet. nichilque tibi euenire permittet. nisi quod tibi prosit etiam si nescias.

    Constanter deo crede eique te totum conmitte quantum potes. Noli esse velle quasi proprius et in tua potestate, sed eius clementissimi et utilissimi domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 1.15.30 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.44, ll.7-11).

15. Deus semper idem. nouerim me. nouerim te.

    Deus semper idem, noverim me, noverim te.

    Augustinus Hipponensis, *Soliloquiorum libro duo*, 2.1.1 (CSEL 89, W. Hörmann ed., p.45, l.11).